



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **SACRA ILLA IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS SUB TITULO  
«SANCTISSIMI ROSARII»,  
PIE SERVATA IN ECCLESIA LOCO VULGO DICTO UBANON  
IN DIOECESI CALBAYOGANA, PRETIOSO DIADEMATE REDIMIRI  
SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. – Sacra illa aedes quae  
loco vulgo dicto Ubanon in dioecesi Calbayogana exstat, gratiosam imaginem Beatae Mariae Virginis sub titulo  
«Sanctissimi Rosarii» servat, quam Christifideles pie colunt caelestium gratiarum copiam sibi suisque a Deo  
exposcentes. Nos igitur libenti animo obsecundare volumus precibus Venerabilis Fratris Maximini T. Cruz, Episcopi  
Calbayogani, atque comprobata sententia Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Apostolica  
Nostra potestate eidem Praesuli partes committimus ut imagini illi, Nostro nomine et auctoritate, pretiosam imponat  
coronam, iuxta probatum liturgicum ritum. Confidimus sane Nos fore ut fideles istius ecclesialis communitatis ad Beatam  
Virginem Mariam colendam magis magisque incitentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S.  
Petrum, sub anulo Piscatoris, die septimo mensis Februarii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo  
decimo. ANGELUS card. SODANO***

*Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana